

www.e-rara.ch

**Observationes circa viventia, quae in rebus non viventibus reperiuntur
cum micrographia curiosa**

Buonanni, Filippo

Romae, M.DC.XCI [1691]

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-18970>

Pars secunda. Seu supplementum recreationis mentis et oculi in observatione testaceorum
quorum aliqua exprimuntur non antea in lucem edita.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



PARS SECUNDA


Seu

Supplementum Recreationis

Mentis et Oculi

in observatione Testaceorum
 quorum aliqua exprimuntur
 non antea in lucem edita





C A P V T I.

Indicatur Oblectatio, qua Testaceorum Animalium varietate afficitur Animus Intuentium.



DESIVERAT iam Bemarcus simul in rem aliam se aggressurum ostendens, cum his verbis Rufus interceptit. Ille, quo semper experientiae documenta prosequutus sum, amor, & si nullo alio nomine promouerer, veniam mihi nunc faceret, ut ea diutius propugnarem contra ratiocinationes huc usque repetitas. At vero cum molestum nimis accidat horas diesque protrahere eodem in studio occupatos, sicuti nimis grauis affidentibus est mensa, quamuis opipare instructa, & auribus molestiam affert quaecumque, licet grata, seu vocum, seu instrumentorum musicae harmonia, si diutius quam par est perseveret, mentes oculosque nostros ad alia diuertere ratio postulat.

Nihil dubitandum hic est, addidit Fulbertus. Omnes quippe artes negotijs otia miscere necesse est. Vitae
etiam

etiam laudatissimæ tenor, si nulla voluptate abrumpatur, speciem musicæ refert, aptis quidem modulis temperatæ, imperfectæ tamen, nisi harmoniam Pauſa condierit. Sane viros vñdecunque spectatissimos antiquæ paginæ referunt, qui, seu priuatorum studiorum contentionem, seu publicas curas honestis remissionibus, & ludicris exercitationibus, ideoque laudabili vacatione, relaxarunt, quod non segne & ignauum otium sectati confirmare animum, & à labore recreare propositum haberent. Fatetur de se Tullius, fatentur quamplurimi.

Interpone tuis interdum gaudia curis;

Quod caret alterna requie durabile non est.

olim ait ille.

Ad amœniora igitur viam nobis aperit Bemarcus, incitatque pabulo non minus oculis, quam menti gratissimo. Talia cum diceret Fulbertus Rufi manum apprehendens in cubiculum proximum inuitauit, vbi fere innumeras maris Conchas Cochleasque supra mensas aliquas disposuerat Bemarcus.

Vix illas oculis vsurpauerat Rufus. Agnosco, inquit, in hoc eleganti apparatu Naturæ Thesaurum, oculorum oblectamento comparatum. Immo mentis vtilitati propositum, resumpsit Bemarcus. In eo enim non solum Naturæ vtilis pompa est, verum etiam, vt verius loquar, Diuini conditoris Sapiencia, & in producendo copiosa fertilitas commendatur. Sunt illa vt facies Hominum de quibus loquens in Octauio Minutius Felix, *eadem*, ait, *figura omnibus, sed quadam unicuique lineamenta deflexa; sic & similes vniuersi videmur, & inter se singuli dissimiles inuenimur*. In omnibus Turbinatis, vt de reliquis taceâm, lineæ spiralis circumuolutiones intueri; non tamen in omnibus eam esse totidem orbibus productam, nec in omnibus æqualiter apparentem, sed in aliquibus partim celatam, partim manifestam, in alijs supra firmam basim quasi circa columnam conuolutam, in alijs vero sine vlllo fulcro cochleatam, in his depressam ac planam, in illis intumescentem & sinuosam, in omnibus denique

ita

ita similem, & apparentem, *vt etiam quæ similia videntur dum contuleris diuersa sunt.*

Seneca
pitt. 113.

Intuere quam varias omnibus formas! aliæ sunt turbinate & in mucronem gracilescentes, aliæ tuberculis asperæ, aliæ rugosæ, & in varios anfractus discretæ. Vide insuper quam pulchris, quam multiplicibus earum cutis coloribus exornetur. Nonne apte huc adducam illud S. Præfulis Apollinaris de Palatio Auroræ differentis.

Diripiunt diuersa oculis & ab arte magistra

Carm. 2.

Hoc vincit, quodcumque vides ———

Illas quidem dum oculis percurro, nullam ex eis omnium esse pulcherrimam audeo iudicare, cum singulæ vel partium structura, vel colorum aspergine varia, vel orbium circumuolutione æque possunt oculos recreare, animumque pellicere, vt sensibilibus rebus, ad inuisibilem rerum omnium Conditorem quisque sibi viam sternens, eum tanquam siderum Principem, à quo cætera lumen mutantur, agnoscat, & prosequatur amore illum, à quo, docente Seneca, *dum ponuntur sapes in Pomis, odores in Floribus, in Lapidibus Colores, vsque ad delicias amamus.*

CAPVT II.

Referuntur varia Musca, in quibus Conchilia conseruantur.

Hic Fulbertus. Meritò pretiosa inter & præclaratum Naturæ, tum Artis opera seruantur Cochlearum Testæ tam belle picturata in Muscis Eruditorum, & Magnatum Palatijs. In ijs manifestum est Naturæ opus materiam superasse. Musea aliqua, in quibus locum illæ obtinent numerantur cap. 12. Recreationis Mentis & Oculi. Illa tamen iterum referam magis distincte, aliaque

que adnectam, quorum notitiam habui postquam paginae illae typis erant traditae .

Videntur igitur in Museo. quod à Vormio insigni medicinae Professore apud Hollandos Vormianum dicitur, ab eodem in publicis paginis erudite descriptum . Videntur in Museo nobilissimae Familiae Calceolariae : Ostentantur Bononiae in Museo , ab eruditissimo Aldrouando instructum, inter pretiosa Artis & Naturae opera, quae dum viveret possidebat Marchio Ferdinandus Cospi, Vir , cuius dotibus Bononia iure gloriatur . Suntque illa non magis Naturae curiosa portenta, quam Magni Etruriae Ducis in Virum talem benevolentiae indicia, qui huiusmodi maris fructibus Museum ceteroque praclarum voluit condecorare .

In vrbe eadem quamplurimae sunt apud Iacobum Zanoni, Virum pari humanitate, ac Botanicae facultatis peritia, quam luculenter testatur opus eruditum Typis impressum anno 1675. quo multarum herbarum proprietates reconditas , nouique Orbis plantas Italiae ignotas patefecit ; nunc à D. Peregrino Zanoni, Patris in utroque non impare Filio, summo studio custoditae sub vitreis laminis cum ceteris curiosis Naturae operibus , quae longa & accurata solertia ex multis Mundi Regionibus Parens amantissimus obtinuerat .

Ibi etiam quamplurimae sunt apud Illustrissimum Comitem Capraram, illum inquam, cuius praclaris dotibus ingens decus addidit Excell. Frater Comes Caprara bellicus Imperator , qui sub inuictissimo Caesare Leopoldo ob scientiam rei militaris & virtutem contra perfidum Turcarum militem plures numeravit triumphos in Ungaria, quam Dies . Quamplurimae inquam illae sunt , & quidem selectae omnes , & elegantissime magna diligentia seruate sub laminis crystallinis , quas Scriniola ex Ebano sustentant in cubiculo , è cuius parietibus pretiosae tabulae pendent egregiae picturae .

Imole multas perlustravi in curioso gazophylacio quod possidet D. Hieronymus Formioni ex hereditate Patris Iosephi Formioni habito .

Veronæ in Museo Muscardo multæ conspiciuntur multæ in Septaliano Mediolani inter omnia alia propter varia tum Naturæ tum Artis opera celeberrimo. Florentiæ multæ apud D. Vincentium Viuiantum, Virum celeberrimo Galileo non impari ob Mathematicarum disciplinarum peritiam, Magnis Ducibus Etruriæ Galliarumque Regi acceptissimum. Sicuti apud D. Cosmum Roserminum Pisanum aliæ multæ visuntur. Multas etiam singulasque præclaras ingenti nummorum vi sibi comparauit studiosus D. Henricus Mont Parisijs, Vrbe Scientiarum Artiumque omnium altrice. Ibi etiam innumerae Cryptam Varsalianam in suo opere dispositæ exornant, è remotissimis Oceani Regionibus delatæ, vt tanquam Maris Flores ostentarentur, haud breui die vernantes, vt Rosa.

Obtinuerunt etiam suum locum in Palatio Regio, vbi antiquarum rerum varietates, & Naturæ prodigiola opificia tum ad Aduenarum Virorumque litteratorum usum, tum ad perenne Urbis ornamentum tanta cura & sollicitudine, nec non tantis sumptibus Ludouici XIV. Sapientia & Liberalitas erexerunt.

Non desunt Anconæ ex mari præcipue Adriatico habitæ in curioso Gazophylacio adeo eleganter instructo à nobili Patritio Camillo Pichi, vt ratione dubitandum sit, an maior fuerit eius in comparando industria, an potius in disponendo sagacitas. At ne Roma discedamus in hac etiam Urbium Regina multi Virorum egregij vel Doctrina vel natiuæ nobilitatis excellentia inter prætiosas supellestiles Cochleas posuere. Illæ videntur inter gemmarum matrices glebas in Regia Villa Excell. Principis Pamphili apud S. Pancratium, quam dicimus *di Bel respiro*; sunt in Villa Eminentissimi Principis Flauij Chisij apud Montem Esquilinum posita. Sunt in Museo, in quo inter selectas celebriorum Pictorum tabulas & Veterum erudita monumenta conseruat paucas quidem numero, at forma elegantes D. Petrus Bellori, ob suam antiquorum numismatum peritiam Regiæ præcipue Suecorum inclitæ Christianæ acceptissimus. Sunt etiam ali-

quot præclaræ in Palatio Villa Regiæ apud Thermas Diocletiani, quæ à Principibus Perettis in ditionem venit Principis Sabelli, seruanturque sub tabulis crySTALLINIS inter egregias statuas, tabulasque à celeberrimis Viris depictas. Silentio non præteribo eas, & quidem pulcherrimas, quas D. Augustinus Scilla tum pingendi arte præclarus, tum nummismatum eruditione celebris, addidit varijs rebus lapideo succo obduratis, de quibus luculentam & eruditam epistolam Typis edidit. Multas etiam reposuit Eques Coruinus in suo Museo, quod, illo è viujs sublato, Excell. Dux Strozza dilecto D. Leoni Filio prætio comparauit, & quidem Artis & Naturæ lucro; Omnia enim, quæ in illo conseruantur, sub indecoro puluere haud latent vt antea, sed inutilibus reiectis, Inspicientium oculis prudenti methodo distributa ostentantur. Multas etiam reposuit in suo Museo D. Andreas Bonuicinus. Aliquas ex elegantioribus D. Carolus Antonius Magninus, apud eius Heredes conseruatas inter Arma Virorum illustrium, & varia tum Naturæ tum Artis opera, ab ipso Magnino suo calamo illustrata. Sunt insuper in domo D. Francisci Galli, cuius solertia mira Naturæ opera collegit, variaque ex aquis ac tellure portenta curiosis oculis comparauit. Sunt in domo Eustachij Diuini, quem excellentissima peritia in Telescopijs fabricandis celeberrimum reddidit. Innumera ostendebantur in Museo Eminentiss. Principis Virginij Vrsini prope Urbis moenia in Via Flaminia, deinde in ditionem Illustrissimi Marchionis Virgilij Spadæ translata. Videntur etiam in Museo Illustrissimi Urbani Roccij Equitis Romanorum Pontificû Præcurforis, in quo eius Architectonica mens multa curiositati Pabula eleganter disposuit. Collegij Romani Museum quod celebris P. Athanasius Kircher mathematicis experimentis, & machinis hydraulicis insigniuit, ostentabat multa pulcherrima hæc luxuriantis Naturæ Cimelia.

Neapoli pene innumera reposuit in suo celebri Museo nummismatibus præcipue opulento D. Picchetti, Vir non minus

minus eruditione, quam Architectonica Artis peritia excellens. Genuæ pulcherrimum eorum apparatus magno pretio emptū addidit egregie picturatis tabulis D. Franc. Maria Miconi. Ingentem eorum numerum ex varijs Regionibus obtinuit Pistorij Illustrissimus Balthassar Sozizifantes inter Equites S. Stephani Prioratus dignitate insignitus, ob egregias dotes animi sui Magnis Etruriæ Ducibus maxime charus, & præclara morum integritate ac prudentia, nunc Lubianæ Populis acceptissimus Gubernator, sicuti olim in Umbriæ Prouincia Militum Romani Pontificis Generalis Præfectus. Illustrissimus Præsul Cardinalis Gualterij dignissimus pronepos, nunc Urbis Camerini Gubernator, illas voluit recensere inter multa, quibus opulentum Gazophilacium instituit. Non desunt in Germania apud Magnates, nec non in Museis Virorum nobilium, & Philosophorum multis. Serenissimus Elector Saxonie in suo palatio septem cubicula extruxit, quorum primum innumera instrumenta mechanica continet, secundum scrinia, & loculamenta miro artificio compacta. Tertium Instrumenta mathematica. Quartum, & Quintum Tabulas egregie depictas, Horologia, & varia artificiosa Automata. Sextum Vasa pretiosa. Septimum Res, e terra & ab aquis comparatas, inter quas Cochleas elegantissimas, & ad varios vsus accommodatas. Argentinae Io: Fridericus Spoor insignis Bibliopola multas sibi comparauit. Lipsiæ non paucas custodit inter corpora petrefacta, & varia mechanicae artis opera. Philippus Spener. Ibi pariter Muscum possidet rebus marinis refertum, præcipue Testaceis Prænobilis Domicella non minus eruditione, quam linguarum peritia percellens. Prostant venalia Amstelodami, & Londini translata ex Insulis tum Asiae tum Americæ, præcipue Antillis a Mercatoribus, qui Gemmarum loco aliqua ex illis habent, & ingenti numerorum pretio curiosis Naturæ Inspectoribus vendunt. Ibi multa sibi comparauit prænobilis, & eruditus Vir D. Theophilus Kahl, quas secum Wratislauriam transtulit, ibique tanquam Virtutis

Naturæ infigne indicium , & perenne monumentum
posuit .

Magnis vero Etruriæ Serenissimis Ducibus , (cum in
varijs Naturæ operibus tributa quodammodo ex Elemē-
tis omnibus acciperent) suum etiam , & quidem opulen-
tissimum in conchilijs obtulit Mare , illudque inter pre-
tiosas Gazas ad miros Naturæ lusus explicandas Floren-
tiæ feruatur . Ibi permagno oculorum ac mentis oblecta-
mento illud perlustraui , cum eximia Serenissimi Ducis
Ferdinand. II. Benignitas dignata fuit aditum mihi per-
mittere in Regium cubiculum , vbi latebat talis Cōchilio-
rum Thesaurus . Visæ tunc mihi sunt omnes Maris diuiti-
æ in compendium redactæ , adeo elegantiæ , adeo belle
picturata singula erant , omniaque exacte leuigata , & pel-
lucida ; nam quibus Natura ornamento nitorem negauerat
Ars adiecit , studio & solertia D. Iacobi Mariani , Vi-
ri in fabricandis instrumentis mathematicis , & conficien-
dis tubis opticis æque periti . Eiusdem opera ordine pul-
cherrimo distributa sunt in loculamentis serica tela viri-
dis coloris circumtectis , quæ in scrinijs ex ebeneo com-
pactis reconduntur . Quod si e domesticis parietibus lon-
gius peruagari mente recusatis , ea quæ vestris oculis
subijciuntur , inspicite .

C A P V T I I I .

*Describuntur Testacea inter Cætera non
antea Visa .*

Testaceus hic apparatus ostentabat quidem ea om-
nia , e quibus selecta fuere , quæ in parte secunda
Recreationis Mentis , & Oculi numerantur . Addita ta-
men illi erant aliquot non prius Visa .

Horum Icones Typis mandare decreueram cum cæte-
ris iam vulgatis , quando in gallicum Idioma translatus
libellus ille publicis iuris iterum faciendus erat ; at quia
vel

vel propter nimium Impreforis otium, vel alienæ voluntatis defectu, nimis dilata impressio est, laminas, in quibus exprimuntur, paginis hisce tradere decreui, fortassis etiam gallicę impressioni commodaturus.

Describam igitur illa, vt omnium oculis oblectamento sint, omnesque deducere possint, quam ingentes Naturæ Thesauri sint, e quibus semper noua promuntur. Descriptioni singulorum Icones addentur numeris appositis, vt recognosci possint. Priuantur autem in paginas translata venustate præcipua, immo cadauera potius eorum ostenduntur a calamo, qui negando colores, eo priuat decore, quo etiam Animę pulchritudo in vultu Hominum depingitur.

Primo loco ea sit, de qua sermo fuit cap. 60. In genere Patellarum visa est comprehendi. Adhærebat enim tenacissime veluti saxo durissimo Testudinis cortici, quam e mari adriatico Bononiam transfulerunt Piscatores. Testaceo giro in oualem figuram extenso, non plano, sed gibbofo ita formatur, vt sex leuibus conchis videatur compacta, totidem enim habet radios, quinque incisuris seu crenis distinctos, a quibus conchæ illæ indicantur. In centro eius quatuor aliæ conchulæ subtiliores assurgunt, ita simul compactæ, vt os indicent in crucis figuram efformatum. Has Animal sub testa latens modo aperit modo claudit, ad aquam seu attrahendam seu emittendam. Spatiolum inter has cochleolas, & girum solida membranula obtegitur. Color est illi vbique subalbus.

2 Portionem delineavi arundinis, quæ eodem cap. 60. fuit indicata in litore Antij reperta, cuius superficiei sine villo ordine dispositi tenacissime adhærent Balani quotum vnus sub numero.

3 Apparet microscopio auctus. Etiam hic videtur compactus sex conchis striatis, sed inæqualibus, spatiolis interiectis planis, & leuigatis. In eius apertura quatuor veluti squamæ teretes, & acuminatæ ita protuberant, vt os animalis inclusi, cui adhærent, in modum crucis

crucis efforment . Color illis est subalbus in amethystinum propendens .

4 Apparet intima basis eiusdem balani . Videtur illa quasi placenta alba ex dura testa formata , at tota canaliculis perforata , qui a centro originem trahunt , & quo magis à centro recedunt , ampliores sunt : vbi autem peruenerint ad circumferentiam , inflexi assurgunt intra reliquas testæ partes , in quibus , quo magis ascendunt , eo angustiores euadunt .

5) Concha Brasiliiana cuspidata . Sic eam appello ob

6) cuspides , quas in lateribus testæ crassæ & ponderosæ emittit . Tota crispis circa centrum ductis corrugatur . Color illi albicans est cum amethystino confusus in parte gibbosa , in concaua vero albescit .

7 Concha indica valde nitida æque ac pullucida tum in conuexa tum in concaua facie . In hac alba est , illam vero plures simul confusi colores eleganter exornant ; quippe carneus cum albo , albus cum fuluo vndas Maris imitantur .

8 Concha è Bahyano litore Brasiliæ trasmiffa ; magnitudine qualis delineata apparet : binis componitur valuis fragilibus , & leuigatis . Appendices illis prominent subtilissimis plicaturis corrugatae . Colorem habet album in flauum propendentem , & sæpe in subnigro confusum .

9 Eadem concha duplici testa composita , in eam faciem representata , vbi centrum , & appendices ambæ conspiciuntur .

10 Concha ex Insula Amboino in Italiam translata . Illam concharum omnium pulcherrimam dicam ob elegantiam , qua in ea fabricanda vsa est Natura . Duplici serie striarum corrugatur ; altera earum , quæ de centro ad circumferentiam extenduntur , altera , quæ circa centrum ducuntur . Inter has insuper incisuras ostendit adeo minutas , & pulchro ordine dispositas , vt subtili scalpro adhibitæ videantur . Vndique candidissima esset , nisi in concaua parte flauedinem quandam ostenderet , propter

rari-

raritatem conchas cæteras pretio superat.

11 Cochlea bina ex parte visa; testa valde subtili componitur, at pulchris Zonis fulvis, flavis, subrubris, inter quas tres sunt præcipuæ, & maiores, in girum distincta; cæterum subalba intus forisque apparet.

12 Pecten cum duplici auricula striatus minutissimis crenis, septem insuper veluti plicaturis maioribus crispatur, supra singulas earum quatuor puluilli intumescunt, colore purpureo vt plurimum saturatus apparet, aliquando igneo, & aurantio simili. E Brasiliæ litore obtinetur rarò, adeoque magno pretio meritò habitus. Bini huius generis, non vulgaris magnitudinis integri, & pulcherrimi seruantur in Museo Serenissimi Magni Ducis Etruriæ.

13 Cochlea, quam iure dicimus fasciatam; illam enim frequentes Zonæ circa centrum iuxta spirarum circumuolutiones cingunt modò angustiores modò ampliores. Oleacinæ illæ sunt, cæterum ex ebure videtur compacta; os tamen, in quo quinque dentes prominent, colore croceo aspersum ostentat, labroque satis crasso munitum. Indicum mare illam produxit.

14 Quæ hoc numero indicatur, an cochlea dicenda sit, seu potius concha, dubium parit eius formâ. In spiras enim breui circumuolutione glomeratur, at maiore sui parte adeo in latum extenditur, vt conchâ fere planam efformet. Illam ex Achate fabrefactam diceres, nam eius lapidis faciem, præcipue in parte interiori ob leuorem, & colorem exprimit. In exteriori vero circa centrum minutissimis rugis tota crispatur; carneus color in flauum propendens eius cutem circumtextit, aliquibus venis subfuscis transuersim notatam.

15 Concha ex genere venereo valde nitida, & leuigata vt cæteræ.

16 Cochlea, cuius minima pars in helicem inflectitur, os adeo amplum ostentat, vt Animali incluso munimentum deesse videatur; Illam diceres ob exilitatem Testæ, arboris folium leuiter conuolutum, leuis idcirco est,

est, at nitida precipue in parte interiori, cuius facies subalba apparet. Exteriorem vero lineolis subfulvis, & frequentibus signatur tota.

17 Cochlea quinque circumuolutionibus complicata ore fatis patulo, quatuor dentibus distincto. Alba illa est & nitida, at in spira maiori triplicem seriem macularum castaneus color efformat.

18 Cochlea terrestribus vulgaribus forma non dissimilis, at si os respiciatur, ad genus Umbilicarum pertinet. Eius singularis proprietates est dispositio linearum, quæ a centro ad Umbilicum ductæ totam circumuolutionum seriem comitantur. Fulvæ illæ quidem sunt supra colorem subalbum ductæ; interiori vero parte colore violaceo inficitur.

19 Cochlea ex genere Venereo, minutissimis crenis in ore distincta. Eius pars, in qua aditus Animali patet Ziziphino colore inficitur, cæterum reliquum testæ spatium candidissimo lacte saturatum apparet, ubique autem est nitida & pellucida non secus ac cæteræ, quæ ob nitorem dicuntur Venereæ. Egregium illa est Magni Etruriæ Ducis munus, eiusque nunquam fatis laudatæ Benignitatis monumentum.

20 Ad idem Genus Cochlearum refertur, quæ hoc numero indicatur. A ceteris tamē ob multa distinguitur; Habet enim spirarum indicem fatis apparentem, corticem valde leuem, & os minutissimis crenis distinctum, & adeo frequentibus, ut quadragesimum numerum attingant. Eius color ex oleacino ad Tirium inclinatur, supra quem vndæ heluaceæ, circa os vero albescit.

21 Cochlea valde leuis vndique leuigata, ore patulo in longum porrecto, colore ebur imitatur. Fructus est Maris Americani.

22 Buccinula leuissima, cuius testa exilis & pellucida. septem spiris absolvitur, quarum prima valde ampla est, vltima vero acutissimum mucronem efformat. Color illi offeus est.

23 Tellina indica in litore Amboini reperta fere perfecta

fecte rotunda: à centro ad circumferentiam rotundis, & valde tumentibus strigis diuiditur. In vtraque parte candido lacte saturata, quod sine ordine maculæ subnigræ non deturpant sed exornant.

24 Tellinam, seu potius concham leuem dicam, quæ sub hoc numero apparet. Indicum mare illam produxit figura oblonga, & minutis crenis circa centrum corrugata. In parte interiori nitida apparet, colore heluaceo in album propendente saturata; in exteriori vero tophaceo, supra quem lineolæ nigerrimæ ita discunt sine vlllo ordine, vt plurimis in locis inflexæ angulos modo acutos, modo obtusos reticulati operis instar efformant.

25 Turbo, paruitate fabæ molem non excedens, spirarum indicem in parte externa nullum habet, asper tamen est vndeque, & luri to humore saturatus. Illum distinguunt aliqua tubercula subalbida, sine vlllo ordine disposita. Os illi est valde angustum.

26 Cylindrus in parte interiori candidus, in exteriori vero tophina veste testus, quam notæ lacteæ in triplicem girum dispositæ exornant. His adduntur frequentes circuli è colore subvulturino, non quidem continuis lineis; sed interruptis virgulis efformatis. In Cylindrorum genere maximi æstimatur non adeo frequenter repertus vt cæteri.

27 Ostreum Papuanum, sic dictum a litore indico, vbi generatur; Duplici constat testa. Ambæ inter se ita concurrunt, vt ab A. ad C. lineam rectam efforment minutissimis crenis asperam, quibus connectuntur. In B. centrum est, ibique ligamentum valuarum inhaeret. Ex hoc strigæ valde exiles & spissæ originem habent, & quo magis ad extremitatem accedunt, eo ampliores fiunt. Non tamen in vtraque parte strigis huiusmodi aspera est; nam ea facies quæ litt. B. C. D. indicatur, fit aspera rugis, quæ circa centrum B. disponuntur, nulla spatij æqualitate seruata, sed lamellas seu squamas efformant alteram alteri neglectu quodam Naturæ suppositam.

- 28 Designat numerus hic Ostreum idem ex altera facie visum, intus ex albo flauum apparet, cutis vero externa tophacea est & lurida .
- 29 Cylindrus indicus decem spiris circumductus . Candidus vbique ; at facies exterior maculis fuluis decoratur, lineolis heluaceis superadiectis .
- 30 Cylindrus pariter indicus , albedinem lactis æmulans punctis nigricantibus frequenter notatus . Rarus ille est, & magno pretio apud curiosos Naturæ Inspectores .
- 31 Cochlea Umbilicata . Sic dicitur ob speciem Umbilici qui in centro Orbium exprimitur . Os Tubæ illam vocauit seu Tubam retortam . Tubam enim rotundam imitatur, & orbibus fere quinque circumductam, quæ mucronem habet angustum , basim vero oris instar , quod in Tubis videtur . In parte caua sub hoc numero indicata albescit .
- 32 Eiusdem Cochleæ pars gibbosa exprimitur , quæ tophacea est maculis sanguineis sine vlllo ordine aspersa , os autem flauescit .
- 33) Structuram fere similem superiori habet cochlea
- 34) hoc numero indicata ; distinguitur autem eo quod meatus semirondus orbibus insit . Totam candido lacte imbuta, at vtraque in parte vndis castaneis, & fuluis, mira quadam dispositione collocatis, condecoratur , vt numeri adiecti indicant .
- 35 Patella mucronata . Habet enim mucrones acutos in girum ita dispositos , vt totidem breuiores sint quot sunt longiores alternatim porrecti . Umbonem effingit in centro . Pars concaua ex albo plumbea illi est, Gibbosa vero sanguineis, & furuis maculis deturpata .
- 36 Cylindrus leuis & nitidus , colore rarus . Roseo enim, & Albo ita depictus a Natura est , vt fere Tabulas simulet , in quibus Regiones . Maria , & Insulæ a Geographo exprimuntur, hac de causa Cochleam Geographicam aliqui eam vocarunt .
- 37 Turbo , quem labrosum dico ab ore valde longo ,

& crassis labris munito. Binos insuper habet dentes, & post primum orbem, quo constat, tribus alijs adeo breuibus terminatur, vt quartam eius partem vix omnes simul adæquent. Totus est albus & valde ponderosus.

38 Buccina maximo pretio habita ob colorem; Carneus enim ille est aureis maculis intermixtus, lineolis fuluis insuper adiectis, quæ spatio fere æquali inter se seruato, quinque orbium, quibus constat, ductum sequuntur.

39 Cochlea, cuius forma an sit potius commendanda vel structura valde dubium est. In vtraque enim est præclara. In ea orbium spiræ ita testa continguntur, vt vix in breui mucrone indicentur; quamobrem Concha potius quam Cochlea videtur appellanda. Costæ illi superadditæ in æquales partes eam diuidunt. Alibi num. 185. classis tertiæ Testaceorum indicauimus, at non adeo elegantem & pretio æquali habitam. Quippe ea, quam hic delineauimus, propter colorem singularis est & rara. Maculis enim condecoratur roseis pluribus alijs admixtis, quæ in ceteris generis huius apparent. Illam obtinent in alto mari Indici Piscatores.

40 Nerita, cuius magnitudo est vt hic exprimitur; colore tota albicat. Ex tribus orbibus, quibus componitur maior fere totam componit. Multiplicibus globulorum lincis tota cingitur, spatio debito inter illas seruato, quod tamen asperum est & minutissimis incisuris corrugatum.

41 Trochus substantia admodum crassa ponderosus, corrugatur ita, vt funiculi simul iuncti videatur compactus. Totus candidus est maculis piceis adiectis.

42 Cochlea ventricosa. Tribus orbibus ita componitur, vt eorum maior tumidum ventrem exprimat. Medio in ore, quod labris crassis munitur, hyatus fere rotundus patet: valde ponderat, & colore subcinericio est infecta.

43 Tubuli vermiculares sic dicti à Vermibus, qui in cauitate eorum stabulantur. Videntur Serpentes

testacei, qui tamen sine vlla regula circumflectuntur. Intus albi & nitidi, cutis autem externa flavescit corrugata. Os habent fere rotundum, & quo magis ab eo Tubus recedit, angustior euadit, donec in turbinem acutissimum desinat. Vt plurimum nauium carinis ahæret, & scopulis.

44 Echinus complanatus, tertiam digiti partem vix æquans in crassitie. In eius parte superiori foramen patet; circa quod stellulam efformant quinque radiorum pene innumera foraminula, adeo angusta, vt nec equina seta permeare possit. Aculeis orbatus albus apparet.

45 Testaceum Anonimum, nisi ad Tubulorum genus illud pertinere quis existimet. Radicem sua forma exprimit rotundam & inflexam. Vbique fere leuigatum, totum albescit. In inferiori parte siphunculi instar prominet eius pars, in cuius extremitate foramen est. Superior vero ita intumescit vt Tholum asperum illi superimpositum esse videatur, quod angusta foraminula veluti cribrum reddunt. Illud à nullo Authore expressum inueni, neque in vlllo Testaceorum Museo asseruatum scio, nisi in prædiuiti, & præclarissimo Serenissimi Magni Ducis Etruriæ, ex Amboino insula receptum.

46 Aliud ostreum binalue addebatur hic expressum, duabus conchis parum gibbosis, ita compositum, vt crassitiem digiti non excederet. Intus subliuidum & nitidum foris asperum & rugosum vt ostrea.

Inter hos pulcherrimos cortices Animalium Testaceorum quæ producuntur sub aquis, non deerant illi, quibus contenguntur Insecta, quæ supra tellurem stabulantur; non tantum vt pabulum instructum esset curiositati, sed menti argumentum, vt dignosceret, quam longe supra Terram Mare sit ferax in hoc genere multiplicando; non enim plures quam quindecim aut sexdecim species recognoscere potuit, easque omnes cortice valde fragili, simplici, aut omnino albo, aut terreis coloribus parum eleganter picturato. Ab illis exprimendis calamus abstinuit, eo quod nimium vulgares sint, & frequenter omnium oculis subiectæ.

47 Paruum hoc, at non parum elegans, Testaceorum Agmen claudat Ostreum curiosissimum nuper ex Hollandia habitum, non tamen apud Hollandiam natum. Illud est vt in lamina apparet (mole quidem non parum auctum, vt eius partes distinctius exprimerentur) cornu simile Arietis, at magis circumuolutum. Ab ore ad mucronem ita extenditur, vt quamplurimis incisuris in plures partes diuidatur minores semper & minores, decrementi proportione perfectè seruata, qualis in helice apparet, prout magis in mucronem angustatur. Testam habet candidam fragilem, & aliquantulum propter tenuitatem transparentem. Curiosus eius intima lustrandi (videbam enim in parte suprema A. B. cauitatem similis conchæ perfectè rotundatæ & instar globi bifariam diuisi, vbi foramen erat angustum in A.) bina dissecui, &, mirum dictu, in toto eius ambitu triginta numeravi huiusmodi conchas, seu semisphericos globulos, ita in tubi cauitate dispositos, vt alter alteri superimpositus esset debito spatio inter vtrumque relicto, post foramen omnibus angustus canalibus inerat, qui è superficie conuexa superioris propendens ad concavam subiecti fere perueniebat. Tres huiusmodi conchas delineavi sub numero 47. expressas sub characteribus C. D. quorum canaliculi seu siphunculi in E. Color interior est argenteus seu margaritarum vt in Nautilo indico. An hæc series fornicum seu concamerationum, sphericarum huius Testacei illud munus exerceant, quod in Nautilo eius septa, seu Diaphragmata, Tu mihi ediffere Fulberte. Vtrumque enim ignotum mihi est, nec rationem hucusque inueni, quæ ad dubitationes meas euincendas satis esset.

Hoc vnum scio multa minima in Rerum Natura fuisse posita ab eius sapientissimo Authore, quibus nimis elatæ Hominum mentes deprimerentur, ne superbirent, & vtili ignorantia edoctæ, illud clare scirent, quod D. Gregorius lib. 2. moral. c. 5. affirmavit. *Virtutis Diuinæ miracula obstupuisse dixisse est.* Summum Artificem maximum esse etiam in minimis, vna vel leuis Maris conchula

Ia nobis demonstrat, eiusque Sapientiam infinitam ostendit non solum vastum totius Orbis Theatrum, sed vel quoduis minimum opus, quod oculis clarissime visum, mente imperfectissime agnoscitur.

Desuerat iam Bemarcus simul in rem aliam se aggressurum ostendens, cum his verbis Fulbertus intercepit. Viam ego tuis impressam vestigijs insistam; nec parum nos hac via edoceri putandum est, quandoquidem talia docemur. Sæpe (inquit celebris Author) *Hominis aggressi parua, successu operis maiores spiritus sumunt, ut Ligus ille Marianus dum Cochleas confectatur studio legendi, paulatim in summum montem egressus, Victoria viam Imperatorem docuit.* Hac ratione oculos oblectando, mentes erudimus excitamusque ad cognitionem Opificis. Animum in Deum intento, rebus ceteris obiter vtendum docuit Epitectus, addiditque. Quemadmodum in nauigatione subducto nauigio, si aqua tum exieris obiter fortassis etiam Cochleolam colliges, aut bulbum, animo autem in nauigium intento esse oportet, ac continenter sollicito, ne Gubernatur vocet, ac tum illa omnia relinquere, vt ne vincus tanquam ovis in nauim conijciaris. In quam sententiam ita suauiter cecinit Illustrius Leo Strozza.

*Sotto Cielo straniero
Dell'infido Oceano iu sù l'arene
Talhor stanco Nocchiero
A raccor le Conchiglie si trattiene;
Ma solo per diporto;
Che il pensiero maggior egli haue al Porto.*



CAPVT IV.

*Queritur an Icones posita perfecte correspon-
deant Cochleis, vt vere sunt à Na-
tura producta.*

Qvandoquidem Animalia Testacea contemplamur inquit Rufus cupiditatem meam excitarunt, vt quæram: an quæ visæ sunt à Nobis Icones perfecte respondeant Cochleis, vt vere sunt à Natura compactæ, an potius in contrario situ delineatæ appareant?

At Bemarcus, Æquum Tibi erit satisfacere, quandoquidem tua petitione Incuria, seu maior errorem appellare, carpitur mea. Huius me damnauit D. Martinus Lister è Regia Societate Londinensi, qui in appendice ad Historiam Animalium Angliæ Londini edita 1685. tract. 2. qui est de Cochleis marinis, aliqua addens emendanda in tabulis æneis ita loquitur. [Qui picturas ære incidit, in eo maxime errauit, quod omnium Turbinatorum volutas inuertit, adeoque quorum aperturæ in dexteram spectant, sic intelligi debent ac si leuam respicerent; & contra de alijs, quæ contrarium positum in tabulis seruant, existimandum est. Eundem errorem in alijs rerum naturalium Authoribus olim notauit Fabius Columna Aquat. & Terrest. Obs. pag. 61. Illius, inquit, i. e. Rondeletij Pictor ignorauit artem Typographicam, in qua omnia auersa depinguntur, vt impressa deinde recta reddantur, quare omnia illius & aliorum Icones sinistro aspectu sunt cum dextro esse debeant tantum illic, vt quæ in Gesneri voluminibus exaratae sunt, rectæ conspiciuntur, sed non industria pictoris illius, cum reliquæ non exaratae ab impressis sinistrae sint depictæ. De Bonanni figuris nuper editis
», idem

» idem dici potest, nam vniuersæ falsæ sunt, nisi quas
 » paucas à me alijsque mutuatus fuerit.] Hactenus
 M. Lister.

Fateor hunc errorem irrepsisse, at voluntariè; Typographicam enim artem callebam, falsitatem in impressione præuidi; at neglexi non vna ratione ductus. Et primo, exemplo aliorum, quorum certe typographicæ artis ignorantia præsumenda non est, attamen pictoris manum non coegerant, vt in eo situ delinearet, in quo non auersa apparent. Profecto cognouerunt pro nihilo habendum esse errorem illum, cuius causa contemplarentur auersa: non enim inspicientes ea dissonantia offendit, quæ maxime lederet, si Homines ex. gr. Arbores, Pisces aliaque multa eo modo viderentur depicta, vt vbi caput, flores, & folia videnda essent, ibi pedes, caudæ & radices apparent. Conchiliorum enim venustas, circinolutiones, & mira partium structura æquali delectatione oculorum vsurpatur, quocumque in situ collocentur, nec vlla phantasiæ infertur vis, vt diuersum quid imaginetur, ab eo quod sensuum auxilio comprehendit. Fortasse ex eo, quia, licet vt plurimum Natura os efformet in parte dextera Turbinatorum, in parte tamen sinistra multorum illud collocat, nec à tali partium dispositione abhorret; recusat verò caput efformare vel florem, vbi pes vel radix semper apparet.

Vnum addam, eritque in hac re pro ratione voluntas, cuius imperio eo modo delineauit, quo mihi apparebant, & ne nouum (& quidem non leuem) laborem susciperem iterum delineando (id enim nec animus nec otium mihi concedebat) eo in situ supra laminas transtuli, meoque non vnquam antea experto stylo celauit. Hoc qualicumque labore meo genio indulsi, bene cognitum errorem prosequens, eiusque rationabilem æque & superuacaneam correctionem præuidens. Eam tamen à me haud negligi; immo permagni fieri, vt ostenderem, hisce in paginis aliquot explicui inter cæteras non antea visas FIDELITER delineatas.

CAPVT V.

*Vtrum Testacea Dentes habeant &
Oculos.*

Satis mihi hoc est, resumpsit Fulbertus; at curiositate alia inducor, vt insuper petam: An oculis dentibusque Testacea sint prædita, an potius careant? Dentibus binis fulciri ex Hookio accepimus, vt bene nosti, oculos autem illis inesse affirmat inter alios Petrus Borellus, vbi ait: [Dentes acerrimos non solum in Limacibus esse, sed quod mirum est, & nullo alij forsan à Natura animali concessum, oculos habent in cornibus, sed distinctios, & videbis nigrum eorum ab inferiori cornuum parte seu à cerebro ad eorum apices ascendere, cum moueri cupiunt, & gressum suum dirigere quo cornua conuertuntur.]

Obs. 40.

cent. ab-
sen. obs.
90.

Fulberto Bemarcus respondit. Fateor me in eadem sententia persistere, quæ docet edentula esse Testacea, saltem loquendo, vt olim loquutus sum, de Testaceis, quæ sub vndis generantur & viuunt. Observatio accuratissimi Hookij habita fuit in cochlea terrestri seu Limaci, quæ de causa firmari ex illa non potest vniuersalis Conclusio, dum in cæteris Aquatilibus hoc minime reperitur. De his satis dictum arbitror in recreatione Mentis & Oculi Probl. 19. quod cæte rationabile fuit nec à veritate dissonum, etiamsi vel vnica Testaceorum species dentibus orbata inueniretur. Quarentem enim cur in Animalibus Terrestribus detur ex. gr. hinnitus, mugitus, & Rugitus non vero in Aquaticis, certe non improbares; etiam si tales Animalium voces omnibus Terrestribus non sint communes. Idem dicas de oculis Testaceorum. Manifestum quippe est quamplurima Testacea oculis carere, præsertim illa, quæ binis clauduntur valuis vt Pectines, Tellinæ Camæ &c. Quæ cum ita sint, iure quæri potest cur Te-

Epist. Iacobo
Harde-
ro .

staceis oculos Natura denegauerit . Dubium tamen est circa cochleas cornibus præditas , quibus multi sibi suafere oculos inesse . Inter alias affirmavit Peierus cum de
 » cochlea terrestri loquens, sic ait . [Cornibus superio-
 » ribus imposita capitella sunt, oculi, è quibus cristalli-
 » num humorem exuisse Suammerdamius fertur . Ob-
 » seruavi etiam cominus bacillo cornua ista in cochleis
 » vegetis ante recedere , quam proxime tangantur ab
 » eo, quod oculorum præsentiam euincit .]

Tanti Viri obseruationem infringendi haud mihi est animus , dicam tamen me nunquam potuisse animaduertere cochlearum seu Limacum cornua recedere, si aliquid contra ipsa obijceretur . Recedere tamen , cum vel leui tactu sentiebant aliquid suo reptatui obstare . Hac pluries repetita obseruatione aliud experimentum institui . Cornibus illarum forcipula disdici eam summitatem in Globuli speciem efformatam , cui potentiam visiuam inesse aliqui sibi suadent , ea tamen microscopio subiecta, nunquam humorem cristallinum potui reperire , obseruavi insuper eadem cornua sic mutilata euaginari ad viam pertentandam, eisque obstacula explorantibus, paulatim Cochleas eodem prorsus pacto ac antea reptare .

Vobis repetam experimentum olim à me factum in cochlea maris Echinophora expressa num. 19. classis tertia & problemate 23. relatum . Cornua eius inueni callosa substantia & valde robusta compacta , in quibus potui anatomem perfectissimam gladiolo exercere . Ea in longitudinem primum disdici deprehendique eandem omnino intimam extimamque substantiam & colorem , quamuis macula , quæ oculus reputatur , extremitate extima non quidem rotunda sed potius acuminata aliquantum infuscata appareret . Non contentus prima obseruatione, alterum ex eis volui suauiter abradere in parte vbi apparebat macula seu ocularis pupilla , potuique facili negotio , non secus , ac color esset pennicillo superinductus illi substantiæ neruosa . Atque adeo euidens mihi factum est non esse illam summitatem in-
 stru-

instrumentum visus, cum nulla ibi pars villo organo instruatur ad visum.

His experimentis instructus rationes inuestigavi cur Natura oculos Testaceis denegauerit, quando in maris litore mentem relaxabam contemplatione Animalium Testaceorum, audiens Aristotelem docentem.

Habere oculos tum cetera Animalium omnia, praterquam testa intecta, & si quid aliud imperfectum est, ut talpa. Lib. 3. Animal. c. 12.

Notum profecto Vobis est; Viri eruditione præclari hanc philosophandi rationem neque in scholis damnari; cum scilicet, supponendo vera esse, quæ vera vulgus existimat, rationes quæritamus, *cur vera illa sint*, ad mentem seu exercendam seu recreandam.

Deinde tamen cognoui me tunc à vero aberrasse. At quid mirum? Cum illud Galeni satis superque comprobatum sit: *Difficile esse ut qui homo sit in multis non erret.* Habent enim oculos aliqua, quæ in mari testæ sunt intecta. Argumento fuit motus, quo Echino-phora sub aqua latens è mari desumpta, in suam domum testaceam sese recipiebat cum bacillum contra ipsam admouerem, licet adhuc non illam tangerem.


Euidenter deinde deprehendi, optimo microscopio eandem cochleam submittens. Obseruaui enim non quidem in acumine cornuum, sed prope basim punctula duo nigra & pellucida, & cultro anatomico intima penetrans sub singulorum cuticula seu membrana vidi latere globulum minimæ molis veluti è vitro compactum, qui certe humoris christallini loco erat.

Post huiusmodi obseruationes easdem habuisse Fabium Columnam circa Purpuras compertum mihi fuit vbi legi

» [Corniculis vero à terrestri cochlea variat Purpura,
 » huius quidem in acutum desinunt, & oculi non in sum-
 » mo, vt in Terrestribus, sed supra medium corniculorum
 » obseruantur, vbi cornicula veluti resecta per longum

de Pur-
 pura c. 1
 §. 33.

» tenuiora efficiuntur sic litt. A.
 » oculos vero aliquando tueri
 » corniculis supra illos incurua-
 » tis, vt in pictura notatur litt. I.
 » obseruauimus etiam partem
 » illam supra oculum cornicu-



» lorum contrahere, vt non nisi reliquum appareat in
 » oculos desinens crassius. At quando tueri putatur, re-
 » cta tota exerta & firma cornicula extensaue habet.]
 Hactenus Columna. Circa quam obseruationem Ioan-
 nes Daniel maior in suis adnotationibus anni 1675. §.
 » 16. hæc addit. [Oculorum Purpuræ descriptioni à
 » Columna ipso cap. 1. §. 33. accurately propositæ quæ
 » addam non habeo, nisi quod illorum mentionem aliam
 » etiam facit Seuerinus in sua Zootomia (part. 4. pag.
 » 350.) sed dum dicit ibi longo tubulo esse impositos,
 » tam facile aliquis posset ex his verbis colligere, Pur-
 » puras oculos suos gestare in summo vel extremo cor-
 » num, quam in medio eorundem, id quod Columna
 » multo diligentius ac distinctius expressit.]

Cum ergo constet, resumpsit Bemarcus, aliquibus Te-
 staceis oculos inesse, multa vero eisdem carere, iure
 quæri potest, *Cur oculos Testaceis Natura denegauerit.*
Doctrina problematica exoterica est, inquit Licetus, *in*
qua pleraque Aristoteles ad aures Vulgi determinat. Hoc
 tamen agendo multa docet ac detegit, quibus imbutæ
 mentes Philosophantium erudiuntur. Scitent quidem
 erroribus quamplurimis fere omnium Philosophorum
 insignium scripta, experientia magistra successu temporis
 detectis; at non ideo minori laude celebrandi sunt, eo
 quod innocenter errauerint. Damno morem illum, quo
 ex paginis alienis paucula feliguntur, quæ calamo Au-
 thorum nimis fortasse veloci exciderunt, vt contra ea in-
 integra volumina compingantur, vt olim apud Poetas Sin-
 dacus ille egit, qui, loco celebrandi dotes Deorum ma-
 tri appictas, contumelijs illam fuit prosequutus ob im-
 portunum crepidarum stridorem. Sicuti in cultissimo

De Vi-
 uent. or-
 tu pag.
 273.

quo-

quolibet campo inutiles herbas inter frumentum nasci
 necesse est, ita æque à ratione dissonum est eas omnes
 in fasciculum colligere, vt Soli vitio tribuantur. *Quan-*
doque bonus dormitat Homerus de illo dictum est, qui ma-
 gnitudine operum, & fulgore carminum solus appellari
 Poeta meruit: nec in Hominum Coetu vllus reperitur, qui
 ab erroribus immunem esse iactare se possit. In hoc va-
 sto rerum cognoscibilium Theatro quamplurima sunt, ait
 Cardanus, *quibus velamen Natura proposuit, velut sponte*
ea latere voluerit, vt in multorum Animalium Generatione;
Nam si detraxeris corticem non perficiuntur, si permiseris,
non assequeris. Insuper in nobis etiam tribus modis errare
contingit, vel quia sensibus & intellectu præstanti præditi
non sumus, vel quia eis non vtimur rectè, vel quia caligo
ab alijs offenditur.

Valerius
 in Pater-
 culo lib.
 2.

de causis
 errorum
 libr. 17.
 Paralip.
 c. 2.

Laudabiles propterea sunt Studiosorum conatus, qui-
 bus tot inter veluti scopulos ambagesque veritatem sine
 vlllo fallaciæ fucò circumtectam assequi conantur, circa
 ea, quæ adhuc superesse in rerum cognitione existimare
 debemus, quæque Veteres latuerunt. Quippe Natura
 adeo fœcunda est, vt multis sæculis omnia humano inge-
 nio comprehendi nullo modo possint. Hinc Vobis, Viri
 præclari, ingrata non accidisse opinor experimenta in no-
 stris collocutionibus relata, quæcumque illa sint. Ete-
 nim Cartesio ingenia excitanti obsecundaui, qui omnem
 vitæ suæ atatem in eo collocavit, vt Theoreticam Phi-
 losophiam ad praxim, communemque humani generis
 vtilitatem accomodaret, at animaduertens & Vitæ angu-
 stos esse cancellos, & experimenta subinde deficere ac
 desiderari, illustria ingenia adhortatus est, vt quiuis pro
 sua facultate ad facienda & promulganda se conferat ex-
 perimenta. Ipsum audite ita in *Diss. de Meth. differen-*
 tem. [Cum autem proposuerim totam meam vitam
 collocare in scientiæ adeo necessariæ inuestigatione,
 & inciderem in viam, quæ mihi talis videtur, vt si
 quis eam sequatur, haud dubie ad optatum finem sit
 peruenturus, nisi aut breuitate vitæ aut experimento-
 rum

„ rum defectu impediatur, iudicabam nullum melius ef-
 „ se aduersus duo ista impedimenta remedium, quam si
 „ *fideliter* publico communicarem. Id omne quantulum-
 „ cunque esset, quod reperissem, & præclara ingenia
 „ inuitarem, vt vltcrius pergere contenderent, singuli-
 „ que quod in sua facultate esset, ad experimenta facien-
 „ da conferrent, atque etiam eorum omnium, quæ ad-
 „ discerent, publicum particeps facerent, eo fine, vt vl-
 „ timi incipiendo, vbi præcedentes desisissent, & ita
 „ multorum vitas & labores coniungendo, omnes si-
 „ mul longius progredierentur, quam singuli priuatim
 „ possent.]

Lib. 2.

Quod si me in multis errasse pro comperto habetis,
 huic collocutioni finem imponam, vsurpando verba è
 Tusculanis quæstionibus Ciceronis *Nos qui sequimur pro-
 babilia, ne ultra quam id, quod verosimile est occurrerit
 progredi possimus, & refellere sine pertinacia, & refelli si-
 ne iracundia parati sumus.* Eadem recensuit in fronte
 eruditæ & ingeniosæ dissertationis circa corpora humida
 & sicca Ex. D. Ioseph. del Papa in Patauino Licæo Me-
 dicinæ Practicæ Professor, quibus deinde adnexuit hæc
 alia è Timeo Platonis delibata. *Si ergo non minus proba-
 biles quam quisque alius sermones afferamus, oportet ac-
 quiescere, cum cogitetis & dicentem; & vos Iudices huma-
 nam habere Naturam, vt de hisce rebus verosimilem sermo-
 nem probantes, deceat nil vltcrius querere.*

Eruditæ hæc dissertationiunculas huc vsque protraxe-
 rant, cum consequuta proxime hora non æque serena &
 hilaris ac prior, eorum decretum fefellit in proxima &
 amœna villa diem implendi. Quare locus fuit oblecta-
 mentis tantummodo Domi à Sapiencia quæsitus.

E Conchyliorum igitur Museo ad cubiculum aliud
 profecti, Instrumentorum apparatus, quam matheseos
 studiosum decebant, inspexere. Erant inter cetera Mi-
 croscopia diuersa, nec omnia ab vnico Artifice fabrica-
 ta; omnia tamen pari industria & solertia. His multas
 res quæ pene oculorum aciem effugiunt attente reco-
 gno-

gnouerat Bemarcus, cùm spontaneam Viuentium generationem indagaret, parique cum delectatione Fulberto ac Rufo oblectamento fuit addiscere varias Vitrorum combinationes, quibus talia Opticorum Instrumēta constabant, & rationem eisdem exacte vtendi ad singula clare cognoscenda.

Expresserat insuper studio & solertia suas obseruationes Bemarcus tum calamo in paginis, tum stylo in laminis cupreis, vt sine microscopijs etiam aliorum oculis obseruata obijcerentur.

Has vt vidit Fulbertus secum deferre voluit, vt attentius & commode recognosceret, (non enim tunc potuit ob temporis angustias) Quibus deinde mirum in modum oblectatus, ansam arripuit typis ea omnia committendi, & publici iuris fecit libellum coniunctum hisce Obseruationibus circa

VIVENTIA, QVÆ IN REBVS
NON VIVENTIBVS RE-
PERIVNTVR.



